



## The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

*DOMINAE NOSTRAE NAREGENSI\**

EXARCHIA PRO CHRISTIFIDELIBUS RITUS ARMENI IN FOEDERATIS CIVITATIBUS  
AMERICAE SEPTEMTRIONALIS ET IN CANADA COMMORANTIBUS AD GRADUM  
EPARCHIAE EVEHITUR NOMINE DOMINAE NOSTRAE NAREGENSI.

Qui nuper successimus in beati Petri locum spirituali totius Dominici gregis bono magna sollicitudine consulere nitimur. Cum quidem Exarchia pro Christifidelibus ritus Armeni in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis et in Canada commorantibus magna cepisset incrementa quod attinet ad fidem elium numerum atque ad proprium ecclesiasticum patrimonium, Venerabilis Frater Nerses Petrus XIX, Patriarcha Ciliciae Armenorum eiusque Synodus proposuerunt huic Apostolicae Sedi ut eadem Exarchia ad gradum Eparchiae attolleretur. Nos igitur, auditis Venerabili Fratre Nostro Cardinale Secretario Status et Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, summa Apostolica, qua fungimur, potestate memoratam Exarchiam ad gradum Eparchiae evehimus nomine *Dominae Nostrae Naregensis*, iisdem circumscriptae finibus quibus praedicta Exarchia delimitabatur cuique sedem in urbe Neo-Eboracensi ponimus, dum volumus ut Cathedralis ecclesia sit templum Dominae Nostrae Naregensis. Mandamus insuper ut omnes sacerdotes in territorio Exarchiae ministerium exercentes ipso facto novae Eparchiae incardinentur itemque seminarii alumni ex eiusdem paroeciis novae circumscriptioni ascribantur. Quae iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem iugiter ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodecimo mensis Septembris, anno Domini bis millesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

IGNATIUS MOUSSA card. DAOUD  
*Congr. pro Eccl. Orientalibus, Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XCVII (2005), n. 10, pp. 937-938.

© Copyright 2005 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana